IN EIVSDEM D. IOAN. GROPPERI IMAGINEM AD VIVVM DEPICTAM, ET IN VESTIBVLO TEMPLI D. Gereoni ſacri affixam parieti, iambicum Epitaphium.

PICTAM vides viator hanc imaginem?
Gropperus hoc vultu fuit dum viueret
Pulchro: ſed intus dotibus pulcherrimis
Ornatus: illas pictor haud adpingere
Eualuit, at relicta fama prædicat.
Iuris Profeſſor vtriuſque ſplendidus:
Theologus æuo maximus ſuo fuit.
Pugil fideliter tuens Eccleſiam.
Caſtus ſacerdos, atque tutor pauperum.
Orator vtriuſque Cleri, præditus
Facundia mirabili: Scholaſticus
Huiuſce Templi diligens prænobilis:
Bonnenſium Collegij digniſſimus
Præpoſitus: atq; Cardinalis arduo
Honore deſignatus à Sanctiſſimo
Papa. mori Coloniæ decreuerat
Sed fata Romæ terminum præfixerant:
Cùm quindecim iam præteriſſent ſecula
Luſtraq; decem nono ferè cum Martio
Tunc pridiè vir clarus Idus Martias,
Romæ relinquens triſte ſeculum, petit
Cœlum ſepultus laude magna poſtmodùm.

FINIS.

FINIS.